

*Recherches curieuses et intéressantes sur les propriétés d'un
certain crocodile (Scincus), fréquemment employé dans la
thérapeutique ancienne.*

AMPHIBIORUM

*F. Lemjor
B. 1870*

VIRTUTIS MEDICATAE
DEFENSIO CONTINUATA
SCINCI MAXIME HISTORIAM

EXPENDENS.

QUAM

PRÆSIDE

JOHANNNE HERMANN

MED. D. ET PROF. PUBL. ORD. CAP. THOM. CAN.

SOLEMNITER DEFENDET

DIE IV. APRILIS MDCCLXXXIX.

JACOBUS FRIDERICUS SCHWEIGHÆUSER

ARGENTINENSIS

H. L. Q. C.

ARGENTORATI,

Typis JOH. HENRICI HEITZ, Univerſit. Typogr.

47423/P

ILLUSTRIBUS
LIBERALITATIS
SCHENCKBECHERIANÆ
ATQUE
OTTONIANÆ
DISPENSATORUM
COLLEGIIS
VIRIS
DE RE PUBLICA ET LITTERARIA
IMMORTALITER MERITIS
IN GRATISSIMI ANIMI TESTIMONIUM
HASCE PAGINAS
D. D. D.
RESPONDENS.

Enimvero rerum omnium parens nullum animal ad hoc tantum ut pasceretur aut alia fatiaret nasci voluit: artesque salutaress inferuit & visceribus, quippe quum furdiss etiam rebus inferuerit. Tum vero illa animæ auxilia præstantissima ex anima alia esse voluit, contemplatione ante cuncta mirabili.

PLINIUS *Hist. Natur.* Lib. XXVII. in fine.

§. I

Quæ sint in Amphibiis animalibus actiuosa principia & evidentem in corpus humanum vim exferentia fuisse satis in uniuersum disputauimus in illa diatribe, quam ante hos duos annos, defendente Experientissimo viro SCHNEITERO ventilandam proposuimus. Et quidem iam a priori, ut ajunt, peculiarem & a sanguineis calidis animantibus diuersam a) œconomiam animalem, succosque adeo a nostris diuersos promittere aliquid quod nostros

a) Quam nos quidem per summa tantum capita, & quantum ad rem nostram faceret, & paginarum angustia permetteret, delibauimus. Poterit, cui volupe est, plenius & amplius diductum illud argumentum legere in doctissimi BLUMENBACHII libello, qui paulo post nostrum prodiit, *Specimen Physiologiæ comparatæ inter animantia calidi & frigidi sanguinis.* Gættingæ 1787.

humores mutare valeat, docuimus : nec esse sine veri specie, multum in his etiam a nutrimenti diversitate *b)*

b) Ad illa quæ ibi §. IV. ad rem hanc facientia protulimus, quoniam satis inculcari nequeunt, & multi ad illud non attendunt, quum tamen maximi momenti res sit, nonnulla quæ interea inter legendum se nobis obtulerunt addere placet.

Amaritiem contrahit Columbarum sylvestrium Americanarum caro, & Tinamu dictæ aves perdicibus proximæ, si Cannæ Indicæ seminibus pastæ fuerint, referente BUFFONIO *Hist. Av. T. IV. edit. in 4to, p. 505.* quum e contrario grato sapore sint aromatico, tempore quo Hæmatoxyli Campechiani, quod Bois d'Inde vocant, semina matura sunt: vid. LABAT *Voy. Tom. I. ed. 8vo. p. 87.* quod idem de Psittacis habet, *ibid. T. I. p. 377. & alibi.*

Abinthio quod copiose ad montem Zellerberg crescit, adscribitur amarities Helicum Pomatiarum in mensæ usus ibi collectarum, vid. ROESLER *Beytrage zur Naturgeschichte Wirtenbergs, I. p. 202.* quod ex cl. STORRII *Alpen-Reise I. p. 11.* desumfit.

Ab eodem comesto Abinthio summa inquinari amaritie ovium carnes LINNÆUS habet *diff. de Genes. Calculi. in Amæn. Academ. T. II. p. 180.* quum e contrario Occitanix oves grato aromate a Serpyllo passim inter ceteras herbas depasto laudentur.

Idem LINNÆUS plures alendi porcos recensuit modos, & quam inde diversæ carnes evadant tradidit in *diff. Sus Scrofa. Am. Acad. T. V. p. 469.*

Glycyrrhiza, dum frondescit, pasti apri adeo insignem ejus saporem contrahunt, ut caro inepta cibo sit, narrante POCOCKE *Description of the East. Vol. II. P. I. p. 129.*

Esocem Lucium, si Soricem moschatum voravit, adeo moschum sapere, ut esui plane non sit, legitur in *Nov. Comment. Acad. Petrop. T. IV. Summa p. 48.*

Ut jucundior evadat Meleagridum sapor, sectili allio nutriri aves

pendere, quæ sane in Amphibiis quoque haud est exi-

istas VALMONT DE BOMARE *dict. d'hist. nat. ed. Helvet. T. II. p. 197.* habet.

A planta Haschischet ed Dabah quam Arabes vocant flavum contrahere colorem carnes ovium illa pastarum narratur a FORSKÖHLIO *Flor. Arab. p. 199.* Sic & ab alimenti diversitate videtur evenire illud, quod ovi Steatopygi quam vocavit ILL. PALLAS, consistens & duriuscula, quæ caudæ loco est, arvina, quam quidem extra falsa & propriis suis plantis confita Tartariæ pascua prorsus deponi scitur, in Africa liquidum in oleum mutatur, FORSTERO docente apud BUFFON. *H. N. Supplem. T. VI. p. 144.* & quid in universum in mutando exterioris habitus colore pascua possint, vel ex illis exemplis quæ collegit modo laudatus acutissimus observator PALLAS in *Spicileg. Zoolog Fascic. XI. p. 76.* patebit. Quin quod in Insula St. Domingue ipsa mancipia Gallorum respuere bovillam carnem, quum Anglorum boves in istis regionibus, nutrimenti diversitate, haud inferiorem ipsi Parisinæ bovillæ offerant, relatum habeamus in *Mém. de la Société d'Agriculture 1786, trim. III. p. 95.* & quod longe majus est, modo veritati consentanea res sit, apud Mongolos orientales adeo fatuas & insipidas esse domesticorum animalium, ipsius etiam porcini generis, carnes, ut rudis illius & barbaræ gentis, quæ nullos certe Apicios habet, palato non sapiat, sed ut illa necessitate quasi coacta sit ichthyophaga, in *Hist. générale de la Chine, redigée par l'Abbé GROZIER p. 97.* monetur.

Si proinde ab animalium nutrimento adeo insigniter mutatur & odor & sapor & color carniū, quidni & aliis medicatis qualitatibus illas imbui posse dicemus? Neque aliter hæc mente concipi posse videntur, nisi ejusmodi moleculas dispergi per corpora & in interstitiis fibrillarum, aut minorum etiam si velis elementorum, defigi, naturæque suæ tenaces breviori longiorive temporis

gua c). Ostendimus ex gelatinæ natura & ex tenui parum-

spatio hærere, donec vel circulationis vi attritæ & mutatæ virtute spolientur, vel novarum partium appulsu involvantur, mutantur & quasi faturentur, vel denique haud mutatæ per emunctoria corporis ejiciantur. Quid enim? Si Mithridates sensim venenis adsuefcendo intactum venenis corpus suum præstitit, ut etiam quum vellet veneno perire, non posset: si quotidie unum alterumve nucis vomicæ nucleum vorando duos continuos per annos, a serpentum venenato ictu immune reddi corpus potest, quod ex RHEEDIO affert SPIELMANNUS *Mat. Med. p. 233*. credamusne omnem ejusmodi hominum substantiam mutari & in istam naturam converti: an potius particulas illas, reliquis quibus nutritur corpus, esse interspersas atque infixas? Verum quocunque hæc se habeant modo, medicamentosa fieri posse animalia corpora, non modo propriæ vi fabricæ organicæ, sed etiam ab ingestorum ciborum natura, videtur concedendum esse.

- e) Diximus in priore parte hujus tractationis pag. 8. de Serpentibus inauditam rem esse, eos vegetabilibus nutriri, itemque de ranis. Cujus quidem rei deinceps testimonia reperimus, quibus tamen parum movemur. Unde enim LINNÆUS habeat quod in *Prefat. Horti Cliffort.* pag. 1. anguem baccis ali dicat, aut quamnam serpentum speciem intelligat, nos quidem fugit. Illud novimus, apud nonnullos sed non certissimæ fidei scriptores hanc sententiam occurrere, in quibus autem apparet, eos potius ex opinione propria, & quia rem ita esse sibi finxerunt, ista retulisse, errasseque illos supra p. 28. asseruimus, quando natricem cæspite ac herbis victitare dixerunt. Ceterum parum quoque in animalium cognitione versatus erat LINNÆUS, quum ista scriberet. Veremur etiam ne quid fraudi fuerit LAURENTIO, qui in *Synopsi Reptil.* pag. 118. Bufonem Polygono aviculari faginatum esse dicit: forte Onisci aut alia insecta sub ista repente planta degentia cibum ipsi potius præbuerunt. Si clar. HORNSTEDT in *Nov. Act. Acad. Succ.* 1787.

que consistente illius indole vix quidquam posse deduci:

p. 306. vers. germ. & inde *Diarium Physicum* 1788. April. p. 284. Acrochordum novum serpentis Javanici genus, verrucis loco squamarum distinctum, quod tamen haud difficulter ad Cæcilie genus referri posse videtur, fructibus victitare dicit, eorumque multos in ventriculo non digestos esse repertos: si CATESBÆUS in *Hist. Nat. Carolin. Tom. II. tab. 64. & 67.* Lacertæ Iguanæ femina Annonæ cibo esse refert, nihil habemus utique quod regeramus, nisi quod hæc iis saltem non vescantur folis, sed vermibus etiam infectisque, observante DE LA BORDE apud ILL. DE LA CEPEDE *Quadrup. Ovip. p. 276.* Sed rariora hæc exempla sunt oppido: nam ea quæ de Crotalis & Bois cognita sunt; quæ de batrachophagis Cherfydris, de ovivoris aviculasque sectantibus aliis serpentibus feruntur; quæ HASSELQUISTIUS *Itin. pag. 368.* de aviculas venante colubro in Cypro insula sibi viso refert; quæ de arboribus mures allicientibus, horumque cupidine adductis serpentibus LABAT aliique narrant; quæ de avibus miro artificio pendulos nidos, ut arbores adscendentes colubros evitent, fruentibus passim apud itineratores leguntur; illi porro serpentes aliaque amphibia quos cum animalculis in faucibus vel alvo contentis delineat SEBÆ *Museum*, cum Lacerta scilicet *T. II. tab. 75. fig. 3. T. II. tab. 17. fig. 1. cum Trochilo T. II. t. 19. fig. 1. Rana t. 68. fig. 4. Mure tab. 78. fig. 6. & tab. 8. fig. 1.* longe frequentius animalibus serpentes vesci ostendunt. Atque ita etiam in aliis Amphibiis. Ranam ranulam vorantem pingit SEBA *T. I. tab. 71. fig. 3.* Nostratem esculentam ranam passerem devoravisse ipsi vidimus, quin anatum pullos ligurare refert ill. LA CEPEDE *Quadrup. Ovip. p. 510.* Lacertam infecta vorantem SEBA offert, *Mus. T. II. tab. 10. fig. 4. 5.* Chamæleon infecta venatur. Crocodilus propriæ progeniei non parcat. In his animalibus minora semper in prædam patent majoribus. Vidimus Lacertas palustres quæ tantum aberant ut adultæ essent, ut elegantibus adhuc suis exterioribus branchiis

dubiam esse alcalini volatilis, quam multi urgent, in his animalibus copiam; neque etiam falis hoc genus easdem habet virtutes quæ illis animalibus tribuuntur *d*). Haud

ornatæ illoque adhuc in statu essent, quem Larvam vocant, in quarum faucibus alia ejusdem speciei nonnisi dimidia parte minor hærebat. Has lacertas piscibus infestas dicit LINNÆUS, dum piscinas depopulantur. Carnivoram etiam Lacertam Salamandram esse vidimus. Si terrestrem Crocodilum PLINIUS *L. 28. Cap. 8.* odoratissimis tantum floribus victitare scribit, haud majorem quam in multis aliis quæ fando audivit fidem meretur; forte quum in animalcula floribus insidentia isti terrestres Crocodili irruunt, faucium vastitate etiam florum aliquid carpunt. Nec rectius, quam vulgo geophagus dictus est Bufo, apud HOMERUM *erambophagæ*, *prasiophagæ*que dictæ sunt ranæ; nec Ranæ Morsus aut Lenticula ranis pro cibo est, sed adhærentes Helices palustres & insectorum larvæ. Quin quod nequidem digeri vegetabilia casu ab his deglutita videantur, & a ventriculo confici, quum in Chamæleonis excrementis partem spicæ hordei intactam repererit HASSELQUISTIUS *Itin. p. 349. vers. germ.* Ipsa denique longa horum animalium abstinentia, cui sane, si phytiphaga forent, nulla necessitas adstringeret, raro aliis nisi animalibus amphibia nutriri docere videtur. Ad rem ipsam tota hæc disputatio nihil facit, quum etiam a vegetabili victu medicatas animalium carnes fieri, & aliis aliisque virtutibus imbui satis superque ostenderit.

d) Si enim Salem Alcalinum volatilem, qui in libello *Remède nouveau contre les maladies veneriennes tiré du regne animal, ou essai sur la vertu antivenerienne de l'Alkali volatil* par B. PEYRILHE. *Paris 1774.* laudatur, auctori suo concesserimus eam quam tribuit *p. 30. & 31.* habere efficaciam, dispar tamen videtur esse ratio, neque in illis ad quos Viperæ Lacertæque laudantur morbis, alcali volatile idem efficere.

denique negligendum esse ursum odoratum in aliis, in aliis acre principium; quod multiplici ratione diversisque gradibus in plurimis reperiri ostendimus, & quod vario modo aliis mixtum & contemperatum esse posse nemo facile negaverit. Ex quibus jam uberrime deduci ac explicari posse videntur effectus, qui si non prorsus omnes a fide dignissimis auctoribus sunt prolati, & indubitatis experimentis confirmati; si sunt etiam inter præstantissimos medicos qui sine fructu illa medicamentorum genera tentaverunt, reperire forte causas dabitur, cur spem illa fefellerint, neque effectus expectationi responderit.

§. II.

Ergo primum meminisse lubet Aphrodisiacæ illius virtutis, quæ partim ab odore, partim ab acrimonia, in nonnullis forte conjunctim ab utrisque deducenda videtur. Quæ enim veneræ rei cupidinem excitare censentur, sunt, præter probe nutrientia, vel acria ex nasturcinarum plantarum & aromatum potissimum genere, vel odore hircino moschatove nervos præcipue stimulant: qui odores quantarum sint virium apud HALLERUM e) legi potest.

Crocodili ergo Ægyptii oculos summum aphrodisiacum esse HASSELQUISTIUS f) memoriæ prodidit, ut forsitan non

e) *Elem. Physiolog. T. V. p. 159.* Cf. quæ dicta sunt in diff. priore pag. 29.

f) *It. in Palestinam. vers. germ. p. 347.* quod omnibus confectionibus de Satyrio, de Hyacintho, ipsique Ambrae hoc scopo ab Arabibus anteponi dicit.

tam ipsi sint oculi, sed glandulæ illis subjunctæ glandulisque submaxillaribus, ob singularem in his animalibus cranii fabricam patentemque orbitarum finem, continuatæ, quæ tam in Crocodilo Indico g) quam Americano h) odorata substantia refertæ, haud secus ac binæ illæ ad anum sitæ i), occurrunt. Neque tantum oculos, sed & hepar bilemque & testiculos, (forte illas glandulas potius ad anum locatas aut istum infra dicendum lumbarem adipem) potentis aphrodisiaci loco haberi apud Indos alius auctor k) retulit.

Sed maxime Scinci celebrata virtus est, quæ sterile nobis ab initio videbatur præbere argumentum, quod brevibus absolvi posset; sed nunc dum fontes adimus, & multa confusa nec rite ab aliis intellecta perspicimus, quum vindicias medicatæ Amphibiorum virtutis scribere aggressi sumus, amplioris nunc disputationis materiam futuram esse videmus,

g) *Observ. de phys. & de mathem. env. de Siam*, p. 37. § 27.

h) SLOANE *Nat. hist. of Jamaica. Vol. II. p. 332.*

i) *Illustr. LA CEPEDE in hist. quadrup. Onipar. p. 186.* Omnibus omnium terrarum Crocodilis hos quatuor folliculos esse dicit: credo analogia potius ductus, quam anatomica fide; quis enim longirostrem Crocodilum f. Gavial, aut nigrum Africanum cultello subjecit? De folliculo sub axillis in ætate provectoribus Crocodilis HASSELQUISTIUS *itin. in Palæstin. p. 347.* loquitur, qui materiam spissam moschi odore fragrantem contineat, follicite ab Ægyptiis exquisito, quippe ab illorum magnatibus inter odoramenta habito. An, quum alii anatomici glandularum submaxillarum meminissent, forte typographico errore apud HASSELQUISTIUM harum loco *subaxillarum* legitur?

k) *Essais sur les mœurs de divers animaux étrangers*, p. 34.

vi demus, quum & hallucinationes nobis ipsis vitandæ, ut-
que vitare doceamus multa auctorum loca adducenda, &
aliorum quoque errores diluendi sint.

Laudatur ergo Scinci venereos nervos intendendi
virtus, jam a PEDACIO DIOSCORIDE ANAZARBEO 1),

1) Ἔστι δὲ ὁ σκίγγος κροκόδειλος χερσαῖος ἰδιογενής. — Φασὶ δὲ δύναμιν ἔχειν
τεθὲν τὸ περὶ τοῦς νεφροῦς αὐτοῦ μέρος. κ. τ. λ. id est, ut totum locum
Lib. II. Cap. 59. apponamus latine: “Scincus alius est Ægyptius;
„ alius Indicus; alius in Arabia (ἐν τῇ ἔρυθρῃ, quod non rubrum
mare, sed Arabiam quam rubrum mare alluit, significare, quum
& præcipue PLINIUS maximum Indicum dein Arabicum esse dicat,
SALMASIUS docet in *Exercitat. Plinian. [ad Solini Polyhist.*
pag. 322. b. C. neque etiam ulla in aqua marina degens
lacerta cognita sit) “natus, alius autem in Lydia Mauritaniæ re-
„ peritur. Est autem Crocodilus terrestris sui generis, qui cum
„ nasturtio sale conditur.” (Atque hic rursus bene SALMASIUM
l. c., cui utique grates quas a Medicis sibi habitum iri sperat
referimus, non ἐν καρδάμῳ, quippe nulla res, recte jam monente
MARCELLO VERGILIO ad hunc locum, illumque corruptum judi-
cante, in Nasturtio aut cum Nasturtio condiatur, aut olim condita
fit, legendum censere credimus, sed ἐγκάρδαμον, id vero est, simili-
bus nasturtii viribus; quod utique quoque PAULUM ÆGINETAM,
quamvis locum reperire non possimus, confirmare ait, Scinco
similem Nasturtio virtutem esse dicentem. Cum Abfinthio pontico
autem condiri OLEARIUS *Gottorf. Kunstkammer tab. VIII. p. 8.*
habet, nescimus unde.) “Ajunt autem partes quæ circa renes
„ positæ sunt, drachmæ pondere cum vino potas virtutem habere
„ veneris accendendi cupiditates.”

Jam locus hic ipse intelligendus est, ne in errorem deducamur,
quod aliis accidit, uti omnia Interpretum eorumque qui de Me-
dicamentorum viribus scripserunt loca comparanti patebit. Scincus

& qui hoc primo materiæ medicæ scriptore posterior

non confundendus est cum Crocodilo terrestri, aut potius Crocodilis terrestribus; sunt enim plures: neuter confundendus cum Crocodilo magno niliaco, neque quos hodie Crocodilum terrestrem veterum esse credunt, Lacertam Stellionem & Cordylum L. esse utique veterum, aut saltem non solos credendum est. Si DIOSCORIDES dicit Scincum esse Crocodilum terrestrem sui generis, aliud non vult, nisi peculiarem & distinctam esse speciem Lacertæ. Nec bene DIOSCORIDEM quasi utrumque confundat carpit GESNERUS *de quadrup. ovipar. p. 24. ed. francof.* Nam ex HERODOTO *Mus. 2. Cap. 69. divis. Wesselingianæ* intelligitur, Iones vocavisse Crocodilos, quos reliqui Græci σαύγουσ, id est Lacertas, vocabant. Ut adeo quum Nili animal, cui Ægyptii peculiare nomen *Champsas* dederunt, primum viderent, recte Lacertam esse judicaverint, & per eminentiam Lacertæ nomen illi dederint. Atque illa vox Ionum omnem Asiam minorem pervagasse, & apud Cilices, unde oriundus erat DIOSCORIDES, quippe Anazarbæus, pariter recepta fuisse videtur, quin latius etiam diffusa, uti quæ deinceps dicentur comparantibus apparebit. Verum quum simul illa vox Crocodili pro nilotica bestia proxime designanda a Græcis adhiberetur, viderentque alias Lacertarum species, squamarum asperitate aut cauda compressa, magis ad Crocodilum accedere, has, quia nunquam in aquis degunt, terrestres Crocodilos sine dubio propiore aliquo jure vocaverunt. Neque adeo Scinci cum Crocodilis terrestribus confundendi sunt, uti videmus fecisse PROSPERUM ALPINUM, quem temere sequuti sunt qui GEOFFROY *Mater. Medic. continuarunt, Regn. Animal. T. II. P. II. p. 102.* PROSPER enim *Rer. Ægyptiar. L. IV. Cap. V. p. 217.* nostrum Scincum negat esse illum veterum, eo argumento usus, quod DIOSCORIDES Scincum terrestrem Crocodilum esse dixerit, PAUSANIAS autem Scincos bicubitales dari tradiderit. At enim neque DIOSCORIDEM ista dixisse vidimus, neque PAUSANIAS quidquam de

esse videtur CAJO PLINIO SECUNDO m), & altero

Scincis habet, sed in *Atticis*, Cap. 23. “Aquam ex Atlante descendere turbulentam, circaque ejus fontes Crocodilos (i. e. five illos terrestres dictos, five Lacertas in genere) gigni, nihilo cubitalibus minores, refert: & in *Corinthiacis* Cap. 28. solam Africam terrestres Crocodilos gignere duum cubitum nihilo minores.” Uti HERODOTUS *Melpom. f. Lib. IV. Cap. 192. divis. Wesseling.* apud Maxyes Africæ tricubitales ferme Crocodilos terrestres Lacertis simillimos gigni dicit.

m) “Similis Crocodilo sed minor etiam Ichneumone est in Nilo natus Scincus, contra venena præcipuum antidotum: item ad inflammandam virorum venerem: PLIN. *Lib. VIII. Cap. 25.*” & alio loco: — “Ex eadem similitudine est Scincus, quem quidam terrestrem Crocodilum esse dixerunt, candidior autem, & tenuiore cute. Præcipua autem differentia dignoscitur a Crocodilo, squamarum serie (*seta* legunt alii) a cauda a caput versa. Maximus Indicus, dein Arabicus. Afferuntur falsi. Rostrum ejus & pedes in vino albo poti cupiditates veneris accendunt. &c.” PLIN. *Hist. Nat. Lib. XXVIII. Cap. 8. ex vulgari divisione, & SIVRYI, Vol. IX. p. 628. Cap. 30. ex recens. HARDUINI p. 463.*

In quo quidem scriptore evidentissimum est, illum nullatenus nostrum hodie usitatum Scincum intelligere, quod vel squamæ, quibus a Crocodilo Niliaco distinguit, indicant. Illas ita interpretatur clar. SIVRY, in gallica sua versione, *l. c. p. 629. & T. III. p. 397.* ac si omnes quæ corpus tegunt squamæ in contrarium ferantur, & apice anteriora spectent, qualis fere in celeb. PALLASII *Spicileg. Zoolog. Fasc. VIII tab. 1. fig. 5.* Gobius Cyprinoides pingitur. At illud incuria pictoris accidit, neque debuerat error repeti & multiplicari in *Encyclop. method. Ichthyol.* quam edidit Abb. BONNATERRE, *tab. 56. fig. 143.* Inaudita hæc res est, & naturæ finibus contraria. Sed neque ferratas dorsi squamas, quales in multis Lacertis, e. gr. Dracæna, Iguana, occurrunt, intelligi persuade

post Hippocratem Medicinæ parente CLAUDIO GALE-

mur, ut istæ scilicet antrorsum respiciant; quum & hujus rei nulla exempla occurrant, & aculeus reflexus in Squalo Centrina, & prior dorsalis pinna in Trachino dracone, & si quæ sunt aliæ pinnae spinæve recumbentes, ab hac re prorsus alienæ sint. Ergo hunc in modum potius PLINII iste locus intelligendus esse videtur, ut quum docere velit, qua ratione terrestris Crocodilus a Niliaco differat, inque hoc ferrata squamarum series ab apice caudæ antrorsum ducta & in duos ramos divisa versus basin caudæ sensim evanescat, in hoc series istarum squamarum ad capitis regionem usque producat; quæ res in Lacertam superciliosam LINN. & Lac. scutatam L. utramque Asiæ inquilinam oppido cadit. Ut adeo harum alterutra, vel potius utraque, aut si hæc extra Amboinam non occurrat, sine dubio aliæ similes nondum rite cognitæ distinctæque Lacertarum species Crocodili terrestris aut etiam Scinci, quorum quippe plures indicant, nomine apud veteres receptæ fuerint. Proinde siue *series* siue *feta*, siue *ferra* hoc loco legamus, eodem redibit, & retinenda illa lectio erit, quam codices habent. Perbene namque *feta* in his dici potest, quippe squamæ istæ in acumen sunt attenuatæ, LINNÆUS ciliatas vocat, non in rotundum obtusumque marginem, ut in Crocodilo, elevatae. Ceterum non mirandum est, Crocodilum terrestrem cum nilotico, Scincumque cum Crocodilis terrestribus sæpe confusum esse, quippe quod & Lacertæ Dracenaë L. (vid. DE LA CEPÈDE *Quadrup. ovip. p. 245.*) & Lac. Monitori L. (vid. id. pag. 251. in not. & FERMIN *Descript. de la Holl. équinox. pag. 31. 32.*) in insignem scilicet amplitudinem excrescentibus accidit: & ipsum quoque Chamæleonem Crocodilis simillimum faciat PLINIUS *Lib. XXVIII. Cap. 8. ante Scincum, pag. 622. ed. Sivr.* aut saltem terrestri, si magnitudo spectetur, Crocodilo; uti intelligi vult ill. COMES A TURRE REZONICI *Disquisit. Plinian. T. II. p. 143.* Neque magis hæc mi-

no n) omnique postea Medicorum schola, maxime Arabibus:

randa sunt, quam si recentissimus aliquis auctor, haud magis quam veteres principiis historiae naturalis, qualibus hodie utimur, imbutus, aut nominibus quibus constans significatio est usus, Salamandrae nomen imponit Lacertae, cujus formam ipse cum Crocodilo comparat, & quae nihil Salamandrini, id est non cutim nudam loco squamarum, non palmas tetradactylas &c. habere videtur. *Essai philosoph. sur les mœurs de divers animaux étrangers. Paris 1783. pag. 35.* aut quando bonus TOURNEFORTIUS Crocodili terrestri nomine Lacertam Stellionem Linn. Crocodilo Niliaco simillimam facit. *Itin. Or. Epist. 7. Tom. I. pag. 373. edit. in 8vo.* Et nonne hoc optimis quibusvis scriptoribus recentioribus accidit, qui ad alia properantes, saepe aliorum nominibus & allegationibus & iconibus quae praecipuos aliquos characteres exprimunt, falli se sinunt. Ita, ut inter plurima unum modo huc faciens exemplum afferamus, de hoc ipso animali de quo loquimur, nostro officinali Scinco, allegat LINNÆUS ad Lac. Scincum, & cum illo DE LA CEPÈDE *pag. 373. Museum SEBÆ T. II. tab. 105. fig. 3. pag. 112.* Jam figuram istam inspicienti statim apparebit, cauda corpore longiore, capite majore, collo subcontracto, rostro magis obtuso, defectu fasciarum dorsalium eam omnino differre, & clavis difertisque verbis descriptionis auctor illam speciem ab officinali nostro Scinco distinguit, cujus nullam, sine dubio quod ubivis cognitus est, figuram dedit.

n) *De Simplic. Medicam. facultat. Lib. XI. Cap. 16. τὰ περὶ τοὺς νεφροὺς τῶν σκίλικων, ὡς ἐν τῶν αἰδολῶν πίνακι.* “Quæ circa renes sunt Scincorum bibunt quidam tanquam pudenda intendentes.” Et de *simplic. Medicam.* GALENO adscriptus latinus liber ad Paternianum, in CHARTER. *coll. T. XIII. p. 1001. a.* “Scincus animal parvulum est, quod in India invenitur, quadrupes & simile Lacerto, sed multo majus, & longius, & ventrosius: hoc igitur

Quæ fequentibus quidem temporibus in dubium vocari cœpit, nec magis nos, quam SPIELMANNUS o) ullam certam observationem reperimus, qua decantatæ illi virtuti fides sua constet; eam forte ob causam, quod nostris in terris ab ejusmodi animalibus abhorrere, nec nisi aliis commixta adhibere, perditæ etiam luxuriæ homines aliis potius irritamentis quam ex pharmaceutica penu depromptis uti soleant. Dubia quoque LINNÆO p) videtur, & apud varios auctores qui ex professo de animalium medicatis viribus scripserunt q) nulla ejus facta est mentio; quin HŒSTIUS r) qui tamen Mauros aphrodisiaca maxime expetere narrat, & apud illos hunc in finem usitata recenset, nihil de Scinco habet, in FORSKAHLIO quo-

salitur. Ad venerea facit drachma una carunculæ illius ex vini cyatho potata; si enim plus fumatur, affert periculum.

o) *Mater. Medic. ed. II. pag. 542.*

p) *Mater. Medic. ed. V. cur. SCHREBER. n. 38. p. 19.*

q) Non habet SEXTUS PLATONICUS de medicamentis ex animalibus, qui tamen ineptissima habet alia. Non GEOFR. LINOCIER *histoire des plantes & animaux. Paris 1584.* FRANC. VELEZ DE ARCINEGA *libro de los Quadrupedes y serpientes terrestres, recibidos en el uso di Medicina. Madrit 1597.* VAN DEN BOSSCHE *Histor. Medic. Animal. Bruxell. 1639.* LIEUTAUD *précis de la matière medicale.* MATANI *de remediis. Pisis. 1769.* Multis annis officinas Italas Scinco caruisse VALERIUS CORDUS in *Dioscor. Lib. II. Cap. 71.* refert, & aliquot modo abhinc annis Venetiis vendi RONDELETIUS *Histor. Aquatil. P. II. p. 231.* qui bini auctores Seculo XVI scripserunt.

r) *Nachrichten von Marókos und Fes. Kopenhagen 1781. p. 249.*

que s) desideratur; oblivione credo magis, quam quod inter orientalium gentium pharmaca omnino non occurrat. Multis enim laudibus concelebrari dicit PROSP. ALPINUS ss): disertis verbis aphrodisiacum in figne, orientalibus multo in usu, ab europæis quidem derelictum, dicit HASSELQUIST t) cujus caro in pulverem redacta, cum excipiente quodam stimulante, etiam jusculum ex recenti decoctum ab Arabibus adhibeatur. Quum adeo hodiernum ibi in usu sit, persuadere sane nobis non possumus, sagax istarum gentium ad veneris irritamenta ingenium, inter tot alia quæ tellus illorum fert stimulantia, adeo diu in hujus virtute erravisse & adhucdum errare, inertique carni primum locum dedisse inter medicamenta quibus maxime indulgent, transferrique hos ipsos nostros quibus hodie utimur Scincos sale conditos & exsiccatos, ad Persas usque & Indos u) apud quos tamen alia ad terrestres Crocodilos veterum referenda species instaurandis hominum equorumque viribus x) in usu est. Tantoque magis non inertem Scincum esse persuademur, quanquam propriis experimentis destituimur, quod graves & veraces scriptores, quum multi y) utique aliena tantum fide recepe-

s) *Mater. Medic. Kahirina, adjecta Descript. Animal. &c. quæ in itin. orient. observavit pag. 141.*

ss) *Rer. Ægypt. Lib. II. Cap. XI. pag. 132.*

t) *Itin. in Palæstin. vers. germ. p. 361.*

u) *Essai philos. sur les mœurs de divers Animaux, p. 36.*

x) *ibid. pag. ead.*

y) *Ajunt carnes Scinci venerem accendere. DIOSCOR.*

Per se laterum carnes efficaciores creduntur. PLIN.

rint, certam rem esse omnino adstruant 2), & si nimia quantitate fumatur, periculo non carere doceant a). Aut quo demum pacto accidit, obsecro, ut hujus similibumve animalium carnes, non ab Europæis modo, Arabibus atque Ægyptiis, sed apud alias quoque Africæ gentes, & apud remotos Indos, remotissimosque Japoniæ regni incolas, quin ex adverfa orbis parte Mexicanos, unanimi b) veluti consensu,

2) Scincorum usum venerem mirifice excitare constat. FUCHSIUS *de Composit. Medicam. Lib. II. ad Electuar. Diasatyr. Myrepsi. p. 388. ed. Lugd. an. 1556.*

Virile semper officium reparaverunt & Piper & Satyrium & Scincus. THEODOR. PRISCIANUS *Lib. II. Cap. XI. de Satyriasi vel impedimento usus veneris.* De his non eadem fide ac certitudine factis assertionibus cf. quoque mox not. b.

a) Ultra drachmam non esse exhibendum notavit SEXTUS EMPIRICUS. Facit nimiam erectionem virgæ, adeo ut oporteat fieri medicinam extinguentem ipsam, SERAPIO *de Simplicibus. Cap. 456.* Notandum quod non multum poni debeat, quia læsionem inferret, PLATEARIUS *de simpl. medic. lit. S. cap. 23.* Si plus uno cyatho potetur, nervos lædit, MATTH. SYLVAT. *Pandect. Medic. Simplic. Cap. DCIV.* allegato DIOSCORIDE, cujus verbis ipse hæc sibi propria subjungit. Ita saltem in editione Papiæ edita per Magistrum Bernardinum de Garaldis 1521. Nam in alia splendidissima Pandectarii editione, sine urbis aut æræ inscriptione, cujus nullibi mentionem factam reperimus, quam patria nostra Bibliotheca servat, articulus hic capite CXIII. continetur, & Serapionis judicium de nimia remedii dosi, quod ille ALCANZI auctoritate subjungit, allegatur.

b) De prioribus dictum est supra. Sed animal quod *Skinkôre* vocat, Salamandræ affine, quia validum stimulans habetur, insigni pretio a Turcis Barbariæ incolis emi refert SHAW *travels in Barbary*

consensu, nec ulla aut traditione aut in uno absurdo commento con-
spiratione facta, unum eundemque ad usum

bary &c. II. edit. Lond. 1757. p. 348. Japoni Lacertam Japoni-
cam, quæ Salamandrinæ pariter est familiæ, tanquam aphrodisia-
cum ubique venalem habent, docente cl. THUNBERG in *Nov. Act. Suec. T. VIII. trim. II. n. V. p. 116. vers. germ.* ubi quidem clarissimus vir ex libris aut a Medicis europæis vim hanc imagina-
riam potius quam veram didicisse Japonos credit: sed pace ejus quæri posse videtur, an verosimile sit, gentem illam adeo moribus a nobis diversam, apud quam haud longo tempore commorati sunt Lusitani, alia sane curantes quam hujusmodi res, ista si vera non sint ab Europæis recepisse, hos autem illos ab omnibus tunc pro spuris habitos Scincos Salamandrini generis potius ostendisse quam veros aut veris magis propinquos, quibus ut Japania careat credi non potest: denique si ineptiæ essent, credibile ne videtur Japonos ad THUNBERGII usque tempora illi opinioni adhæsurus, nec futile pharmacum dudum rejecturos fuisse? De Mexicanis autem HERNANDEZ *Rer. Medic. Nov. Hisp. Lib. IX. Cap. 2. p. 315.* refert, *Acaltetepon* lacertæ speciem ab indigenis Hispanis Scorpionum dictam, terrificam, duas spithamas longam, prolixa cauda, brevibus cruribus, lingua quam interdum versat rubra, lata ac bifida, torvo capite, incessu gravi tardoque & crassa intectum dura, fulvis candidisque punctis, parvulas margaritas imitantibus, aut lithospermi semina (ergo distinctam ab aliis cognitis omnibus speciem) venerem dici mirum in modum excitare, si lumborum caro duorum obolorum pondere ingeratur, neque in illa re Scincis cedere. Idem *Cap. 4. pag. 316. de Axolotl* narrat esse Lacertam dodrantis longitudine, pollicemque crassam, etsi cubitum interdum excedit, quæ quaternis natet pedibus in digitos persimiles illis ranarum desinentibus, capite magno, coloris atrii, quæ salubre ac gratum præbeat alimentum, nec dissimile anguillarum carni,

celebrentur? Atque hic jam maxime apparet, non unum c)

quæque ingesta venerem excitare observata fit, haud secus ac facere solent Scinci, quos terrestres Crocodilos quidam vocant, ad quorum fortasse genus pertinere credit. Et fane figura quam exhibet ferrato dorso istos refert, uti verticillata cauda Stelliones Cordylosque: neque mente concipi potest, qua ratione ill. LA CEPÈDE in *hist. nat. des quadrup. ovip. p. 490.* multa utique miscens & turbans in hac classe animalium, jejunos plurimum, sectator lenocinii verborum antecessoris more, ut denuo ordiendam historiam esse persuadeamur, in illam cogitationem incidere potuerit, istam esse eandem cum Lac. palustri *Linn.* aut etiam, monstrosiore quoque opinione, nonnisi quadrupedem caudatamque ranæ alicujus larvam censendam esse.

- c) Apparet enim jam ex DIOSCORIDE, cujus locum supra not. l. p. 9. excitavimus, quatuor allatos fuisse Scincos, Ægyptium, Indicum, Arabicum & Mauritanicum Lydiæ. SERAPIO autem *de Simplicibus Cap. 456.* habet “ex Babylonia & ex India, & eos qui generantur in mari Cozum & qui reperiuntur in regionibus Lodiæ, & in regionibus Mariorum”. Omnia autem cetera ex DIOSCORIDE habens ORIBASIIUS solus dicit, quartum Apolloniæ in Mauriania nasci, *Medicinal. Collector. Lib. XII. tit. Scinchus; in Syllog. Stephan. I. p. 440.* Verum hæc magis ad Geographos spectant quam ad nos. Sed jam Seculi quinti initio neque isti veterum Scinci, neque noster nobis officinalis videntur recepti fuisse, sed Afcala-botæ dictæ Græcis Lacertæ (voce jam apud ARISTOTELEM & PLINIUM occurrente, & vel ridiculo errore vel singulari miraque ac ulterius indaganda conspiratione Americanæ originis habitæ voce, in SEBÆ *Mus. I. tab. 100. n. 2.* & inde in DEBOIS *Diæt. d'hist. natur. I. p. 174.*) quæ per parietes repere & curtæ esse dicuntur, & Stellionum nomine etiam appellari, ut ad Lac. Stellionem LINN. spectare utique videantur. Non fane mentionem faceremus ineptissimi a MARCELLO EMPIRICO *de Medic. Cap. 33.* descripti

duntaxat esse animal Scinci nomine notum, cui decantata

medicamenti, quo quatuor ejusmodi Afcabotas, si quis in venerem voluerit paratus esse, jubet infundi aceto acri triduo vel quatrinduo, tum addi multa quæ referre hoc loco nil juvat, dextrique pedis pollicis imponi; nisi hoc ipsum ostenderet, de Scinco jam fuisse incertos Medicos, aliasque species substitutas esse. Inde jam, ne forte errori locus esset, in antidoto ad tentiginem excitandam quam habet MYREPSUS *de Antidot. Sect. I. Cap. 69. in Coll. Steph. II. pag. 375.* uterque tam Stellio quam Scincus præcipitur.

Primum reperimus SERAPIONEM Arabem Scincum expressis verbis piscem vocare, & speciem Stellionis aquatici facere. Ita enim ille de *Simplicibus, Cap. 456.* “Rhule id est Ren. Renes
 „ sunt Stinci. Ex piscibus istis (verba quæ sequuntur & sunt Stinci
 „ alius manu ad marginem adscripta fuisse oportet) quidam defe-
 „ runtur ex Babylonia: & quidam ex India. Et ex eis sunt qui
 „ generantur in mari Cozum, & ex eis sunt qui reperiuntur
 „ Lodiæ, & in regionibus Marsiorum, & sunt species Stellionis
 „ aquatici: & ipsi quidem desiccantur in tempore autumnii. Et di-
 „ citur quod quando sumitur in potu ex eo quod est juxta renes
 „ Scinci, incitat fortiter libidinem.” Ut inde appareat, non primum fuisse ALBERTUM MAGNUM, Serapioni quippe posteriorem, qui aquaticum animal Scincum fecit, prouti SALMASIUS *in Exercitat. Plinian. pag. 322.* statuerat. Si modo SERAPIO ista utique dixit, In illo quippe loco incertum est quænam Dioscoridis non bene intellectis verbis debeantur, aut quæ Serapio [sciens & propria ex experientia dixerit, aut quæ tandem Serapionis interpreti debeantur. Nam Serapionem Dioscoridis locum ante oculos habuisse palam est, quoniam quatuor recenset regiones unde afferuntur, ut ille. Forsitan, quum Arabes corruptissimis Græcorum versionibus uterentur, ex eo quod in mari generari legeret, ultra progressus quam par erat, & clariorem rem reddere



hæc virtus tribuenda fit, sed esse plura, atque illa etiam

cupiens, piscem vocavit. Forte jam illis, quin antiquioribus, temporibus illa species magis in usu erat, de qua ex SHAWIO deinceps loquemur, & quæ revera aquaticum animal est; ut non refragemur, si quis etiam velit esse illam quartam Mauritanicam Dioscoridis speciem, quem scilicet, quum sibi maxime cognitum Scincum recte animal terrestre dixisset, aliam aliunde allatam speciem iisdem celebrem viribus, (licet aquaticum animal, quod ipse scire non poterat) istis miscuisse haud ægrius ferendum est, quam si hodie quis dicat Ichthyocollam gluten esse ex Acipensere paratum, & afferri ex his illisve regionibus, in quarum una posteritas nostra discet ex Cyprino Barbo aut Tetrodonte Mola aut alio pisce parari. Suspiciamur etiam Serapionem sua lingua non usum esse voce quæ Stellionem aquaticum significat, sed quæ generica quasi est, prouti Crocodilus terrestris Græcorum, aut nobis Salamandra; quamque interpretes Serapionis suo tempore haud alios quam aquaticos Scincos cognitos habens & qua posset clarissima voce rem exprimere cupiens per Stellionem aquaticum vertit. Id illis qui Arabicæ linguæ gnari sunt, & rerum simul intelligentes extricandum relinquimus. Verum hæc quocunque modo se habeant, nullo modo videtur vero simile esse, Serapionem Arabem ignoravisse Scincum Arabicum, neque alium novisse nisi quem piscem vocaret aut Stellionem aquaticum. Evidenter ista nonnisi barbaris ejus latinis interpretibus debentur. Ita enim MATTHÆUS SYLVATICUS *Pandeæt. Medic. Simpl.* articulo *Rhule* arabice: latine Ren: Cap. DCXIII. postquam Serapionis adduxit verba, pergit præscripto *Dyascoridis* nomine: “Scincus animal est, quod & in India reperitur, quadrupes simile lacertæ, & multo majus & ventosius: aptum ad venereos actus. Sed in nostris partibus habemus æque parvulos, sicut sunt lacertæ noviter ortæ: & in aqua sunt dentia.” Hæc in illa editione Seculi XVti, anonyma & ignota, de qua supra not. a. dictum est, videnturque post SYLVATICUM, alius

fatis inter se diversa, alia terrestria quæ interiore fabrica

manu, ad marginem libri adjecta fuisse. Nam in editione Papi-
na Cap. DCIV. ita legitur. “Diascor. Stincus animal est in India,
reperitum quadrupes simile Lacertæ, nisi quia cauda non est ro-
tunda, sed lateraliter pressa, uti piscibus natate apta, & multo
majus & longius & ventosius” &c. &c. Ita scilicet tunc solebant
suas interpretationes allegatis auctorum verbis intermiscere &
substituere, aut etiam librarii, uti satis notum est, ab aliis ad
marginem adscripta intercalare. Ergo SYLVATICUS, ut explicaret
quid esset ille DIOSCORIDIS Crocodilus terrestris proprii generis,
circumscriptione usus est, lacertasque cauda compressa vocavit;
ut adeo istius adhuc temporibus advecti fuisse videantur non nostri
hodie dicti Scinci, sed ejusmodi ad primam Lacertæ familiam
Linn. pertinentes, de quibus supra (not. m.) p. 12. dictum est. Sed
in eo erravit bonus MATTHÆUS, & ut sæpe solet accidere iis qui
explicare aliquid sustinent, ut nova & nimia addant, & veris rebus
fabulas superstruant, de suo adjecit, caudam hanc compressam
natatui aptam esse: quod vel ideo in mentem illi venire non
debuerat, quod DIOSCORIDES terrestrem vocet. Atque ab his
jam temporibus derivandus duplex ille error esse videtur, primum
quod Scincum quo hodie utimur plurimi aquaticum animal esse con-
tendant; dein quod nostrates Lacertæ aquaticæ verorum Scincorum
loco introductæ fuerint. Et illi quidem priori errori in hunc usque
diem propagato sequentibus temporibus auctoritatem conciliavit
DIOSCORIDES ipse non bene intellectus, tum maxime etiam po-
steriores ejus interpretes qui τὴν ἐρυθρὰν per mare rubrum verte-
runt (vid. supra not. l. p. 9.): forte & illud quod marinum sæpe
soleat dici, quod trans mare adfertur. Ita e. gr. IMPERATI *Hist.*
Nat. Lib. XXVIII. Cap. 1. ne quidem Scinci vocabulo usus,
Lacertas in communem usum a mari rubro ad nos deferri sub ap-
pellatione Lacertæ marinæ dicit. Sed neque illi veterum Scinci
aquatici fuerunt, quod intelligere, uti jam diximus, facile poterant

& generationis præcipue modo, lingua, squamis, magis

omnes, quum terrestrium Crocodilorum ex genere illos faciat Dioscorides. Et si PLINIUS loco supra (not. m.) allegato, in Nilo natum Scincum dicit, qua ratione id intelligendum sit, docebit SOLINUS qui *Polyhist. Libr. XXXII.* “Scinci quoque, dicit, „ circa Nilum frequentissimi, Crocodilis quidem similes, sed „ forma modica & angusta, verum ad opem salutarem non quali- „ bet necessarii: medentes quippe ex ipsis pocula inficiunt, qui- „ bus & stupor nervorum excitetur, & veneni vis exigatur.” Ad quem locum SALMASIUS in *Exercit. Plin. p. 322. b.* “Recte circa „ Nilum. Nec enim in Nilo. Terrestre quippe animal Scincus, „ non aquatile. Et falluntur omnes recentiores, qui ALBERTO „ MAGNO duce Scincos aquæ transcripserunt, quum coloni ter- „ ræ sint. In eodem tamen errore etiam quidam vetustiorum Geo- „ graphus noster ἀνέκδοτος de Nilo: *de flumine superius dicto ca- „ piuntur Crocodili parvæ magnitudinis, quos plerumque ad „ pigmentarios videmus.* Planum est, Scincos intelligere.” (Uti- que. Sed planum nobis istud non videtur, Geographum illum id sibi velle, ex Nilo desumi Scincos, quum illud *de Nilo* etiam haud difficulter de vicinia Nili, de terra quam Nilus perfuit, explicari possit, uti Ἐρυθρὰ supra not. l.) “Ex Ægypto quidem affe- „ rebantur, sed non in Nilo capiebantur. — PLINIUS quoque sui „ oblitus videtur, quum Lib. VIII. Cap. 25. scribit, Scincum in „ Nilo natum Crocodilo similem esse ichneumone minorem. Na- „ scitur enim circa Nilum, non in Nilo. Ergo Scincus ζῷον χερσαῖον, „ etiam si non idem sit cum Crocodilo terrestri, quod quidam vo- „ lunt.” Neque noster quo hodie utimur Scincus aquaticum animal est, quamvis Lac. Maboyæ, quæ ideo quoque Scincus maximus nonnullis dicta est, persimilis sit, atque villa docente SLOANIO *Nat. Hist. of Jam. T. II. p. 334. Sp. XIII.* in uliginosis degat, & in aqua pariter ac terra vivere possit: & quamvis Lacertæ ægypti- cæ SEBÆ *T. II. tab. 105. fig. 3.* similis sit, quam non bene ad Scin-

cum serpentibus conveniunt ; alia aquatilia , quæ nuda

cum a LINNÆO referri supra (not. *m* p. 13.) vidimus, & quam auctor descriptionis apud Sebam prope Nilum in falo degere, at in solo tamen, dicit (evidenti contradictione, ut quid falum sit non intellexisse & litus-falsum ad ostia Nili, quod mari alluitur, voluisse videatur). Nam BELLONIUS qui Ægyptum adiit, in *Aquatil. Lib. I. p. 46.* nihil de aquatica vita habet, sed præsertim apud Memphim, ergo longe a mari, reperiri dicit; modo nostrum intelligat, nam quadrantem longitudine non excedere, & lineas transversas in dorso puniceas, & præcipue laterales lineas cum piscibus communes habere dicit, & figura quoque, utut ceterum rudibus iconibus fides non magna sit, caudam pedesque nimis longos collumque constrictum exhibet. PROSP. ALPINUS *Rer. Ægypt. Lib. IV. Cap. 5. p. 217.* ex cujus rudissimis figuris extricari nihil potest, dum amphibium animal esse dicit Scincum, quod & in aqua Nili & in terra vivit, illud a SEBA *Lib. II. tab. 105. fig. 3.* descriptum animal intelligere videtur: illa autem Lacerta quam supra Memphim in terrestribus ficcisque locis reperiri ait, cum nostro quidem caudæ brevitate convenit, sed quia cubitali magnitudine facit & Crocodilo similem, nostro Scinco nequidem suppar haberi poterit, quippe in quo nullam cum Crocodilo similitudinem agnoscit. An ad recentiorum Crocodilum terrestrem, Lac. Stellionem scilicet similemve, an ad aliquem Veterum ex familia carinata cauda dorsoque ferrato præditarum referri oporteat, dici nequit, quum de utroque evidentissimo caractere taceat: videtur autem posterius, quia undecimæ tabulæ prior figura fetosi dorsi aliquid ostendit. Sed qui præ aliis omnibus hac in re audiendus est HASSELQUISTIUS, in montibus inter Arabiam Ægyptumque locum Scinci nostri natalem ponit in *Act. Upsal. 1750. p. 30.* & ex illo LINN. in *S. N. & DE BOIS in dict. d'Hist. Nat. T. IV. p. 102.*

Alter error sequioribus temporibus introductus ille est, quod aquaticas Lacertas ex Salamandrarum familia alepidotas tetradacty-

cute sine squamis, lingua, costarum defectu, & maxime
generationis

las Scincorum loco posuerunt. Jam enim Monachi in Mesuen commentati circa Romam, & JOH. PLATEARIUS Scincos etiam in Apulia reperiri scripserunt, GESNERO teste. HERMOLAUS BARBARUS *Corollar. in Dioscor. Cap. 270.* in Vicentino agro Scincos dari ait veris minores, quos pro Ægyptiis officinæ subjiciunt. Quando marini Scinci defunt, officinas fluviatilibus uti, non pari tamen effectu RUELLIUS habet *ad Dioscor. Lib. II. Cap. 58.* VALERIUS CORDUS in *Dioscor. Lib. II. Cap. 71.* parvas Lacertas Salamandris similes Scincorum marinorum nomine vendi, quas optat caveri, refert. LEONH. FUCHSIUS de *Medicam. compos.* non alios quam hos aquaticos novit, & Lacertas duabus caudis præditas monstrosas illis substitutas rejicit, vicissimque ob illas non bene pro veris receptas aquaticas castigatur a MATTHIOLO *Comm. in Dioscor. Lib. II. Cap. 60. p. 363. 364. ed. Valgris.* qui non sine magno fortassis hominum discrimine illas exhiberi credit. Aquaticas Lacertas quæ pro veris Scincis terrestribusque Crocodili(bu)s sæpe venduntur, noxias esse, qui has duplici figura, neque aliam, delineat ADAM LONICERUS *Natural. histor. opus. pag. 285. a.* Atque hæ Lacertæ aquaticæ una cum vero Scinco Norimbergæ videntur in officinas receptæ fuisse, quum simul cum isto Scinci minoris nomine describantur, effictæ in LOCHNERI *Rarior. Mus. Bessler. Tab. XII. fig. 4. p. 44.* Quosnam duorum generum pisciculos (ita aliorum modo Scincos vocat) constanti rumore, ex Nilo allatos ostendi velit BERNARD. DESSENNIUS CRONENBURGIUS de *compos. Medicam. Lib. I. pag. 77.* nos quidem ignorare fatemur. Duplicem facit SIVRY *ad Plin. Lib. VIII. Cap. 25. Vol. III. p. 396.* illum recentiorum nomine *Scinc* distinguens a Pliniano quem *Skink* scribi vult, & cui nostrum non convenire judicat. Potuerat adeo & tres statuere, nostrum duosque Plinianos, aut quinque, si nostro quatuor Dioscoridi memoratos adjungat. At
enim

generationis modo , fœcundatione scilicet sine sexuum

enim non una etiam Lacertæ aquaticæ species Scinco supposita est. Nam allegata modo loca conferenti rerum gnaro apparebit , majorem cristatam minoremque nostratam Lacertam aquaticam , quæ non uti LA CEPÈDIO placet ad unam speciem referendæ sunt , sed quæ , uti olim jam persuasi eramus , & nunc ex autographis ROESELII tabulis ineditis quas ante oculos habemus confirmatur , duæ distinctæ species censendæ , pariter receptas fuisse. Præter has aliam oportet esse speciem hunc in modum olim adhibitam , quam ad Cordylum Aristotelis refert BELLONIUS *Aquatil. p. 46. § 48.* Eam officinas falso pro Scinco, magno utentium incommodo, exponere dicit. Credimus inquilinam & gallicam speciem esse, quia non videtur silentio pressurus fuisse, si in orientali suo itinere obviam sibi facta esset. Nostratium autem neutra est, quoniam viviparam dicit more Salamandræ, & digitis attrectatam lacteum humorem illius more emittere, quorum nihil in nostras aquaticas Lacertas cadit. Neque de Lacerta Cordylo *Linn.* cui scilicet is cognomen hoc fecit, ullo modo cogitari potest. Mirum, cum vivipara natura branchias una tribui: quæ res si simul adsit, neque ista qua branchiæ adsunt ætas multo tempore antevertat vivum partum, quod vix persuademur, magno argumento futurum est & Linnæanæ Sireni lacertinæ, & Laurentianis Tritonibus, distincta scilicet ista esse & sui generis animalia, non imperfectas larvas. Sed & in Africæ aquis aquaticum Scincum reperiri scribit OLEARIUS in *Gottorpische Kunstkammer. tab. VIII. pag. 8.* unde habeat, non dicit: forte ex proprio itinere; & quod alibi locorum, non ex male intellectis Dioscoridis verbis ejusmodi aquatici nostro Scinco substituantur, sed quod ab antiquissimis temporibus incolarum experimentis cogniti adhibeantur. Huc scilicet illum *Skin-kôre* referimus, cujus stimulantis loco a Turcis insigni pretio coëmpti meminit SHAW *travels or observations relating to several parts of Barbary and the Levant. II. edit. p. 348.* quamque

conjunctione perfecta ranino generi magis accedunt: & apparet simul, haud improbabili quidem ratione, cur quæ ab aliis asserta fuit virtus, in dubium fuerit vocata ab aliis

delineatam quidem apud SEBAM *Thef. Vol. I. tab. 14. fig. 2.* sed non satis descriptam esse credit. Nos ejus figuram numeris haud notatam sed ad p. 178. relatam cum Sebana comparantes illas tam inter se quam a nostris europæis diversas esse existimamus. Atque huc paritate utique nominis referri debere videtur *Secancur* RASIS, *Schanchur* AVICENNÆ aut *Alschancur*, quem per Guaril de Nilo exponit; *Guaril* autem apud SYLVATICUM per Scincum explicatur. Quæ omnia apud GESNERUM *de Quadrup. Ovip. p. 31.* & SALMASIUM *de Homon. Mat. Med. Cap. 60.* ex Arabibus illorumque commentatoribus collecta & cum illis quæ SHAW & POCOCKE referunt comparata, quod jam ulterius excutere non vacat, ostendunt illam vocem *Warral* aut *Guaral* aut *Guaril* genericum nomen esse, & haud fecus ac Crocodili terrestris, Scinci, Salamandræ, Cordyli, Stellionis voces confusiones peperisse, non minus quam genericum nomen Lacertæ parere debet, si sine specifico epitheto adhibeatur.

Ceterum ut hanc de haud unius generis animalibus Scincorum loco exhibitis disputationem absolvamus, notabimus adhuc, illos Scincos quinque vel sex palmorum, i. e. viginti aut viginti quinque digitorum transversorum longitudine, quos GESNERUS *Quadr. ovip. p. 25.* narrat amicum suum venalem Constantinopoli vidisse, illosque quos veros fuisse judicat, ab alio visos, palmum longos, latitudine duorum digitorum, luteos, qui parte posteriori statim in acumen desinerent, nec ita multum producerentur uti lacertæ, neque nostros fuisse Scincos neque aquaticas lacertas videri.

In universum Amphibia tam reptilia quam serpentes plus minusve particulis aphrodisiacis scatere verosimile dicit auctor libri *Essai sur les mœurs de divers animaux étrangers, pag. 36. 37.* Saltem celebratis atque caris testudineis Anglorum ferculis haud

scriptoribus, aut etiam prorsus negata *d*). Neque impetrare a nobis possumus ut cum HENNINGERO *e*) faciamus, qui vane inter Scinci partes distingui, renesque præferri, uti veteres *f*) quidem præcipue fecerant, asserit. Si enim vel maxi-

exigua in paranda opipara venere laus est. Neque nullum in genitalia effectum testari videtur illud quod a Lacertæ Iguanæ esu veneris morbus recrudescere dicitur.

d) Complures qui Scincum vel etiam recentissimum copiosius assumerunt, nullam utique utilitatem ad venerem consequutos esse PROSPER ALPINUS habet, *rer. Ægypt. L. IV. Cap. V.* Magni ponderis, fatemur, auctoritas! Sed una contra multos. Contra constantem gentium hæc curantium famam. Neque & urgemus nostrum utique esse qui hac vi polleat. Modo detur nobis, virtutem istam non precario in omnibus esse assumtam.

Forsthan, uti mox dispiciemus, non omni tempore earundem sunt virium. Saltem SERAPIO, licet solus, *de Simplicibus, Cap. 456.* autumnii tempore desiccari suum Scincum dicit, sed auctoribus MESCHAB & RAZE addit, meliorem esse qui est major & pinguior, & accipitur vere.

e) *Cynosur. Mat. Med. explanat. T. I. P. II. p. 53.*

f) Τὰ περὶ τοὺς νεφροὺς αὐτοῦ μέρος. DIOSCORIDES *Lib. II. Cap. 59.* i. e. partem circa renes positam. Interpretes carnem circa renes verterunt. Quod utique non de musculoſa carne, sed uti in univĕrsum veteres molles omnes fere partes dixerunt, intelligendum est.

Τὰ περὶ τοὺς νεφροὺς. GALEN. *de Simplic. Medic. facult. Lib. XI. Cap. 16.* Latinus interpres renes Scincorum habet, quum per ea quæ circa renes sunt, latine reddere debuisset. Partes circa renes, AETIUS *Tetrab. I. Serm. II. Cap. 191. Collect. Stephan. II. p. 97.*

Sic & PAULUS ÆGINETA *de re med. Lib. VII. lit. S. in Coll. Steph. I. p. 460.*

me testiculorum (nam utique non renes, sed prope renes in Amphibiis positos testiculos, aut potius in universum quæ renibus adjacent intellexisse palam est) in cibo usum quidquam virium ad augendam feminis secretionem habere negaveris; quo tamen sine & Italis g) arietini testes, quos Animelli vocant, laudantur, uti aliorum animalium testiculos antiqui Medici vario modo propinaverunt, & si rem illam omnem ineptæ theoriæ, quam Signaturæ vocaverunt, debitam velis, (quamquam explicationi virium ludicræ sæpius experientiam præcessisse fatendum est) non tamen

Medium Scinci nō dum qui renes tegit recipi jubet RAZES, qui utique inepta ratione solummodo ex dorso suspendi jubet, ut medicamentum vires suas exferat. Testiculos & renculos præcipere KIRANIDES, refert GESNERUS *Quadrup. ovip. p. 29. lin. 1.* quod nos quidem in absurdissima illa collectione non reperimus. SERAPIO *Præct. Tract. V. Cap. 13. de ægritudine coitus* loca quæ sunt in circuitu renum expressis verbis commendat. Sed maxime usitatum fuisse, has partes præ reliquis recipere, apparet ex eo, quod & apud SERAPIONEM *de Simplic. Cap. 456.* & illum arabizantem Pandectarium MATTH. SYLVATICUM allegatis supra locis, non ipsius animalis, sed *Rhule* titulo, quod Arabibus renem significat, occurrat, & id quod juxta renes est commendetur. ALCANZI etiam Arabs a Serapione allegatus auctor, si ex renibus folis medicamentum desumitur, nimiam erectionem efficere habet. Renum Scinci adeps denique, ab illo Medico Arabe libri qui *Artis perfectio* vocatur auctore, commendatur apud PROSP. ALPINUM, *Rer. Ægypt. Lib. II Cap. XI. p. 132.*

g) Ita e. gr. CASTOR DURANTES *il tesoro della Sanita pag. 232.*
 “Testicoli danno al corpo ottimo nutrimento moltiplicando lo
 „ sperma & accrescono il coito.”

idem videtur iudicium ferendum esse de iis partibus quæ renibus testiculisque Lacertarum, imo Amphibiorum omnium *h)* adjacent. Extra venerei Oestri nempe tempus

h) Hanc singularem rem a variis passim memoratam nullibi in unum collectam & simul traditam meminimus, & adjiciendam iis esse censemus, quæ pulcre ceterum de animalium Amphibiorum physiologia differuit clar. BLUMENBACH libello supra pag. 1. allegato.

In *testudine* terrestri parastatas ex innumerabilibus fibrillis constantes vocat BLASIUS in *Anatom. Animal.* p. 119. *b.* Forte huc pertinent striæ aureæ CALDESII, quæ quid sint multam sibi crucem figere dicit clar. SCHNEIDER in *Naturgeschichte der Schildkræten*, p. 141. Ulterius in id jam inquirere nec vacat nec licet, quum neque CALDESIUM neque FERRALTUM consulere possimus.

In *ranis* omnibus ejusmodi appendices foliaceæ adiposæ, aurantio plerumque colore. In *R. temporaria* mare RÆSEL *hist. Ran. tab. V. fig. 2. lit. n. tab. VI. fig. 1. lit. e.* in femina *tab. VIII. fig. 1. lit. f. f.* in *R. arborea* mascula *tab. XII. fig. 2. lit. q.* in femina *fig. 1. lit. k.* in *R. esculenta.* *t. XV. fig. 1. ♂ 2. lit. f. f. ♀ fig. 4.* In *R. Scorodofma*, quam Bufonem foetidum aquaticum vocat, sive Bufone fusco LAURENTII & DE LA CEPÈDE, *tab. XIX. fig. 4. d.* citrino magis quam in aliis colore RÆS. p. 83. In *R. Bufone* *t. XXI. fig. 26. k.* In *R. Rubeta* *tab. XXIII. fig. 18.* In *R. Calamita* *tab. XXIV. fig. 7. lit. r.* in femina *fig. 8. lit. r.* in mare. Illæ jam antea visæ a JACOBÆO, MALPIGHIO, SWAMMERDAMO; & quod memorabile jam in gyris sive ranis imperfectis adsunt: RÆS. *ran. p. 83.* & in ranæ paradoxæ gyris, SEB. *Thes. T. II. tab. 110. fig. 4. k. ♂ fig. 5. o.*

In *Lacertis* pariter adsunt. In Lac. Crocodilo duo corpora glandulosa magna ovata, mollia, albida, quæ alicujus usus ad generationem esse creditæ sunt. *Observ. Phys. & Math. envoy de Siam*, p. 36. 37. In Chamæleone duas glandulas magnas cellularum ple-



minores i), verno tempore, quando naturæ lege conjungi

nas, aut facculos pinguedinosos, figuræ irregularis, coloris flavi habet VALLISNIERI *Istoria del Camaleonte*, pag. 73. *tav. 3. fig. 6. 7. tav. 4. fig. 1.* In Lacerta agili IDEM *ibid.* p. 105. & 107. In Lacerta Maboya, quæ Scinco perfimilis est, sed longe major, (Galliwasp *Anglor.* Lucio terrestri ROCHEFORT.) duo albida corpora in varios lobos divisa, substantia pulmonum simili, quam non bene pro renibus habet SLOANE *Nat. hist. of Jamaica* p. 334. *Sp. XIII.* lin. antepenult. In Cordylo (non Linnæano, sed Lacertæ aquaticæ specie) ova rufo quodam adipe foveri BELLON. *Aquatil.* pag. 48. In Salamandra facculos materia pingui & oleosa refertos renibus annexos JACOBÆUS habet *Observ. de Ran. & Lacert.* pag. 120. 121. n. 12. & in maribus testibus annexos velut in ranis. ID. p. 121. n. 15. *tab. IV. fig. 3. lit. b. b.* Sic & in autographis Roeselianis Lacertarum tabulis, quas coram habemus, observantur ad singulos facculos in quibus foetus evolvitur duo corpuscula lutea: & in Lac. palustri majori, longum subsinuosum sed simplex vasculum crocei coloris ad latera ovarii; in minori supra oviductum; quod ad masculinum autem sexum spectat nihil hujusmodi in his tabulis reperimus.

Serpentibus denique eadem datæ partes. Testibus substantiam aliquam accumbere mollem, tenuem valde carneique coloris, quæ quid sit, an testi ipsi auxiliaris, ut secum inquirant curiosiores invitat BLASIUS *Anat. Animal.* pag. 333. *col. a.* Similia illis corporibus quæ in Lacerta Maboya sunt, sed hepatico colore, infimo abdominis loco reperiri in serpente majore subflavo americano SLOANE *loc. cit.* pag. 335. ut miremur, in Crotali sectione anatomica quam dedit TYSON, nihil nos ejusmodi reperisse.

i) Cf. apud ROESEL *tab. V. fig. 2.* quæ partes has extra veneris tempus effingit, & comparetur cum *tab. VI. fig. 1.* quæ in mare, & *tab. VIII. fig. 1.* quæ in femina œstri tempore exhibet, in R. temporaria. Sic & in esculenta *tab. XV. fig. 4.* comparetur cum

sexibus jubentur, multum aucti & expansi *k)* variæ in diversis formæ colorisque, oleoso liquore pleni sacculi istis analogi *l)* glandulis esse videntur qui ad mammalium animalium generationi dicatas partes adjacent, & in multis eorum peculiare in folliculos unctuosam veneri proritantem *m)* aptam materiam exonerant, quarum nostris nari-

fig. 2. Propter hanc diversitatem SERAPIO *de Simplic. Cap. 456.* verno tempore lectum Scincum præstare dixit.

k) Vid. utique ROESEL *pag. 21.* qui Martio & Aprili, in R. temporaria saltem, has partes maximas, æstate minimas esse, autumnorursus incrementum capere dicit.

l) Non contrariatur huic nostræ opinioni MALPIGHII observatio, qui in *Observ. Anatom. de omento & pinguedine, p. 235.* dicit, in trunco venæ portæ cui appenduntur oleosæ striæ, conspicuas esse guttulas olei, præcipue compressis striis, quæ una cum sanguine in hepatis cavum rapiuntur. Potest enim in hepate ista secretio fieri. VALLISNIERIUS in *Istoria del Camaleonte ed Osservazioni intorno le rane, pag. 116.* credit illud oleum sustinendo nutriendoque animali, dum hyeme riget, inservire. Quam sententiam recipere non possumus, quia verno tempore, quo maxime repleti sunt sacculi, plurimum oporteret esse inanitos, quod plane fecus se habet, neque ulla alia nisi nostra explicatione illius phænomeni ratio aliqua redditur, quod simul cum genitalibus sacculi isti & inflentur ac turgeant rursusque cum istis imminutis collabantur.

m) Præter ea quæ in vulgus nota sunt, adducemus hic modo illud, quod cl. PALLAS refert in *Neue Nordische Beyträge I. p. 338.* Kalmuccos glandulam putoriam sub cauda muris amphibii suo tempore reperiendam & validum odorem moschi spirantem *Küschülien-Sfarr*, i. e. muris pruriginem aut salacitatem vocare, uti Moschum *Kudährin-Sfarr* sive Moschi salacitatem appellant.

bus gratiores Moschi, Zibethi Ambræque, quam animalis originis esse nos quoque persuademur, exemplo, ipsis quoque hominibus excitandis adhibentur. Neque nobis obijciatur, ista unguentorum genera odorata esse; in hoc Amphibiorum oleoso corpore nihil odoris *n*) esse observatum. Nam odore quidem ista utique alliciunt alterum sexum & in furorem venereum rapiunt tanto magis; sed id quod ipsum, in quo illa secretio peracta est, animal stimulat, videtur immediate in genitalia agere, resorptione credimus & vicinia partium. Atque acrimoniam inesse fimbriis istis olim jam docuimus *o*), illæque proxime sitas partes haud secus irritare videntur, ac matutinæ tentigines lotii in propinquo collecti stimulo saltem ex parte debentur. Denique si quis dederit quidem, esse istum illarum partium in ipso animali usum, neget autem inde sequi eas comestas quoque eundem habere effectum; tunc respondebimus, esse quidem quæ modo quodam applicata corpori agant, non item alio, quale

n) Forte glandulæ ad cloacam sitæ & Crocodili Serpantumque exemplo odoratæ cum his oleosis sacculis communicant. Forte per illud quod circa renes est veteres non istos oleosos sacculos intellexerunt, sed illas odoratas glandulas ad anum sitas, quas renibus etiam adjacere dici potest, quum hi graciles longe descendant versus postremam corporis partem.

o) Vid. *Diff. prior. pag. 38.* ut etiam illa acrimonia neque ab urina per humorem qua tota superficies corporis madet diffusa, neque a subcutaneis glandulis, sed ab ipso hoc sacculorum oleo in discissis ranis effluente provenire possit.

quale serpentum venenum est, & Medusarum vis pruritu mordax in cute, comestorum impune; ab aliis autem quacun- que ratione corpori admoveantur idem sequi, Mercurii, Cantharidum, Opii exemplis: postremo ad potio- rem omni ratiocinio experientiam provocabimus.

Si quis vero ex iis quæ hucusque disputata sunt illud sequi contendat, omnium adeo Amphibiorum partes hu- jusmodi pollere vi eadem, tum primum quidem id nobis non exploratum est, & forsan suo modo in quibusvis Amphibiis *p*), ita se utique habet: tum vero maxime id con- sequi negabimus, quum & diversa in his fabrica, & cibi varietas, & alius aliusque ad corpus humanum habi- tus multum hic adferre debeant discriminis.

p) Cf. supra not. *h.* p. 26. lin. antepenult. atque uti varias in disti- tissimis terris degentes lacertas eandem ad rem laudari supra vi- dimus, ita alias superesse earundem virium nulli dubitamus.

The first part of the book is devoted to a general
 description of the country, its climate, soil, and
 productions. The author then proceeds to a
 detailed account of the principal cities, towns,
 and villages, describing their situation, extent,
 and the nature of their commerce. He also
 mentions the names of the principal families,
 and the titles of the nobility. The second
 part of the book contains a description of the
 manners and customs of the people, and a
 history of the wars which have been waged
 in the country. The author concludes with a
 description of the government, and a list of the
 principal laws.

The second part of the book is devoted to a
 description of the manners and customs of the
 people, and a history of the wars which have
 been waged in the country. The author
 concludes with a description of the government,
 and a list of the principal laws.

—————